

† R. P. Ioannes Bennett (1852-1938)

(*Prov. Angl.*)



R. P. Bennett lumen huius mundi primum vidit in magna insula Canadensi regioni praeposita et Terra Nova (*Newfoundland*) nuncupata, in urbe insulae principe S. Ioannis, d. 16 Febr. 1852. Octennis cum familia sua in Angliam venit, per aliquod tempus Liverpoolii habitaturus. Collegio ecclesiastico Blairs, quo se studiorum causa contulerat, post aliquod tempus valedicere coactus est ob valetudinem delicatam caelumque immitte Scotiae septentrionalis. Rediit itaque ad suos, et cum parentes eo tempore Londini in paroecia Clapham

sedem ac domicilium haberent, Ioannes Alfonsianam familiam cognoscere et adamare coepit.

Studia interim ibidem continuavit magistris Fratribus Scholarum Christianarum, donec, fere viginti annos natus, ingressus est novitiatum nostrum Bishop Eton, Liverpool, ubi vota nuncupavit festo S. Teresiae a. 1872. Is, qui ad aetatem fere patriarchalem 86 annorum perventurus erat, in iuventute valetudine adeo tenui utebatur, ut, suadente ita medico, ante commilitones presbyteratu initiaretur, nempe d. 16 Sept. 1877.

Huius sacerdotii talento pretiosissimo P. Bennett inde ab initio tam bene usus est, adscriptus primum domui Clapham et post domui Perth, ut annum agens 32^m (a. 1884) a Rectore Maiore iam huic Scotiae collegio praeficeretur et exacto primo hoc triennio domui Bishop Eton, ubi grandi aedificio iam exstanti novam alam adiunxit. Immo post alterum hoc triennium totius Provinciae Anglicae gubernium recepit sibi concreditum, quo munere in universum per 13 annos perfunctus est, videlicet 1890-1894, 1898-1904, 1921-1924. Capitulo generali anni 1894 interfuit Superior Provincialis, et paenultimo (1921) primus Provinciae Vocalis. Bis quoque

Rm̄i P. Generalis vices gessit Visitor extra ordinem, a. 1893 pro minuscula tunc temporis Vice-Provincia Australiae, et a. 1896 pro magnis Provinciis Americanis una cum Vice-Provincia Torontina.

Qui domi erat, ob zelum observantiae, bonus Superior, foris item missionarius apostolici zeli plenus erat. In nostris quoque ecclesiis auditorium solito maius passim notabatur, quoties populus sciebat Patrem Bennett confectionaturum esse. Placebat enim admodum audientibus huius sacerdotis sermo simplex et virilis, rebus sententiisque refertus, declamatio optima, externus quoque habitus, speciosus ac dignitatis plenus. Mirum sane, quod is, qui in sacro suggestu successum habebat haud communem, usque ad finem vitae verum ministerii verbi tremorem sentiebat!

Multo gratior erat ei humilis apostolatus confessionalis; et vel admodum senex conspiciebatur cotidie, et saepe in die, baculo fultus tribunal misericordiae petere ad iuvandos miseros peccatores.

Laudanda quoque est singularis eius devotio in sacrosanctum Missae sacrificium. Memor semper sese sacerdotem Altissimi esse, vel magis quam Melchisedech, nunquam Deo hoc infiniti pretii Sacrum litare omittebat, nisi vera et absoluta necessitate coactus. Consueverat praeterea singulis diebus, modo facere posset, binas ternasve Missas pie audire.

Numerosi erant eius amici et admiratores, qui animi sui affectum luculenter manifestarunt, sive in argenteo iubilaeo professionis (1897), sive in sacerdotii iubilaeo aureo (1927) et adamantino (1937). Ita hac postrema occasione inter epulas Iubilario veneratissimo allatum est a quadam pia femina donum conspicuum mille librarum seu sterlinarum. Etiam inde concludi potest, quanti P. Bennett foris aestimaretur, quod bis in eo erat, ut ad episcopalem sedem elevaretur, semel pro certa dioecesi Scotiae et semel pro dioecesi Angliae.

Postremo anno vel biennio bonus senex valde debilis factus est et identidem, cum magno suo moerore, celebrandae Missae inhabilis. Mense Septembri h. a., cum graviter aegrotare coepisset, ad valetudinarium domus Clapham translatus est et d. 8 Novembris oleo sancto inunctus. Exinde diu noctuque aliquis Pater vel Frater ei assistebat. Commendationem animae recitarunt fer. II, 12 Decembris; vivere tamen, licet in statu semi-conscio, P. Bennett perrexit usque ad mediam fere noctem diei insequentis.